

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

In quo posita sit obedientia substantia. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



PARS TERTIA DE OBEDIENTIA.

VITAM religiosam holocaustum esse perfectum, quo homo seipsum in honorem Dei igne charitatis absumit, ex his que hactenus dicta sunt, sit manifestū, & nemo, qui huius vite aliquam cognitionem habet, in dubium adducit. Ligna ad sacrificium cremandū, sunt opera religiosa secundum prescriptum regule ordinatē disposta signis, est amor ab his operibus frigus sordide pellens, & splendorē sancti feruoris adiiciens; animal autem offerendū, est ipse homo, simul sacerdos, & hostia, qui & seipsum offert, & suis operibus, & suo amore successus aduritur. Paupertate consecrat Deo bona, que habet: Caſtitate immolat corpus, quod possidet: Obedientia vero offert mentem, qua holocaustū omnino perficit, quia iam nihil extra oblationē omittit. De Obedientia igitur postrema ac perfectissima parte huic holocaustū nunc agendum est: non quidem de illa generali qua quisq; homo ipso nature iure astrictus est principib; & superioribus reipublica parere sed de illa qua quisq; vita religiosam profitemſe ſunt eriore élige, cuius ductu in omnibus gubernetur atque regatur. Hęc est illud holocaustum, quod gratia ēſe Domino desideramus, cūm bellū aduersus vitia nostra ſilicet inuifibiles hostes, incipi- mus. Quorū propositū laude dignum apſieſ Ecclesia mater noſtra, deprecatur nobis bona ore Davidis inter alia dicens: Memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocaustū tuum pingue fiat.] Audit autem ipſe benignus pater tantæ matris desideria: & cum ei ex sincero corde paupertatem & caſtitatem non promiſione tantum sed actione quoque offerimus, gratiā sacrificium habet; cum vero Obedientiam adiungimus, & prepositis obedimus, quia in holocausto pinguisſimo ſibi complacet. Merito igitur nos, qui in his lucubrationibus rationem ac viam ascendendi ad montem perfectionis, & nos Deo in modum holocausti offerendi tradimus, hoc volumen super illud: Declina à malo, & fac bonum, Obedientie tractatione concludimus, ut videlicet compertum fit nobis, ſpiritualem virum, una obedientia malum omne vitare, & bonum perficere, & ſe perfectissimè Deo in holocaustum offerre. Sed iam committamus vela ventis, & hanc postremam partem vie illius vite, que in actione conſiſtit fauentibus superis inchoemus. Tu Domine qui imbecillum in teſperantium es fidelis adiutor, tempora ſylum meum, ut de Obedientia digna loquar, & robora multò magis brachium meum, ut Obedientie opera ſemper exerceam. **A M E N.**

Pſ. 19.4.

In quo poſta ſit Obedientie ſubſtantia.

C A P V T I.

Homo ad aeternitatem conditus, & ad beatitudinem procreatus, obedientiam in adiutricem accepit, qua ſola poſlet in eternū vivere, & finem, ad quem deftinitus fuerat, obtinere. Hinc prima vox Dei, qua poſt creationem hominis in auribus eius inſonuit, praeceptū fuit, cuius impletionem ad obedientię pertinere certum eſt. Facto enim homine, & in paradiſo volutatis collocato, praecepit ei Dominus, dicens: Ex omni ligno paradiſi comedere: de ligno autem ſcientia boni & mali ne comedas, in quo cumque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Vno tantum praecepto, & illo ſatis faciliter, hominem Deus à ſe creatum obſtrinxit. Vno, ne legum multitudine premetur, faciliter, ne mandati difficultatem cauſaretur, & vt ſi peccaret, posteris omnibus appetaret, quanta fuerit iniquitas in peccando, ait Augustinus, ubi tan-
ta erat non peccandi facilitas. Mandatum autem homini poſtum eſt, rei non per ſe male, aut alicui noxiæ, ſed quam ſola lex vetans malam faciebat, vt ille intelligeret ſolam ab eo obedientiam exigiri, ſolum veſtigial ſubiectionis requiri. Neque enim arbor illa Scientia boni & mali aliquo veneno erat infecta, ac propterea timeretur, vt homo ex eius fructu comedens interficeret. Neque etiam alteri homini (qui nondum era) in poſſeſſionem data fuerat, vt ex ablatione fructus ab Adamo facta aliquid detrimenti ſentiret. Sed eius fructus arboris bona, & cum aliis arboribus parenti nostro traditæ interdicta eſt, quo ſci-

Gen. 2.16

Aug. lib.
14. de ci-
uitate. 15.

A ret non ad necessitatem, nec ad consulendum danno alterius, ſed tantum ad obedientię exhibitionem ſibi huiusmodi mandatum imponi. Vel ſi sub hac verborum ſerie obedientię declaratice triplex praeceptum latuit, vt putauit Ruperrus Abbas, fidei, ſpei, & charitatis, hoc quod dicimus magis enitet. Charitas praecepta eſt illis verbis: Ex omni ligno paradiſi comeſe.] Nam cur non Deus charitatem ab homine exigat, in hoc, quod illum à ſe ex nihilo factum tantis muneribus cumulauit? Spes illis: De ligno ſcientia boni & mali ne comedas.] Homo enim praeceptum audiens, sperare debuit, vt qui ſibi onus impoſuit, præmium fulſtentati fideliter oneris, aliquando fulſtentia conferret. Fides illis: In quo cumque die comederis, morte morieris.] Credere namq; debuit protoparens noster, verba Dei eſſe veracia, futurū que eſſe, vt ſi ipſe inobediens exiſteret, mortem ſicrō villo remedio gustaret. Quas tres virtutes commutato ordine a nobis requirit Deus, vt ſicut ille caſendo descendit, ita & nos a fide ad ſpem, & ab ſpe ad charitatem refurgamus. Claret, inquam, obedientiam eſſe hominis adiutricem. Nam intellectus eius fidei præcepto conſtrigitur, & appetitus ſpeimadato deuincit, & voluntas lege charitatis ligatur, vt ſcriet ſe his sancta obedientia vinculis ad beatitudinem obtinendam ſolui, vel tantum à malo, quod ei impe- diamento aſſequenda felicitatis eſſe poterat, nō verò à bono virtutis impediri. Ex his autē quæ in ſacro te- xtu ſequuntur, aperit datur intelligi, adiutricem aſſequenda felicitatis obedientia eſſe virtutem. Post la- tum enim hoc præceptum, Eua adiutrix Adæ crea- ta eſt, quemadmodum ſeris ipsa narrationis aperit, & Augustinus ſentit, vt videlicet in ea adiutoriorum non ſolū vitæ politicae, & procreadæ ſobolis, ſed & ſer-

Rupert. li'
2. de ope-
ribus Tri-
nit. c. 3. 1.
Gen. 2. 16.

n. 17.

Aug. 8. de
Genes. ad
lit. c. 17.

Iacobi Aluarez operum tom. 2.

V V V

uanda

uanda sibi impositæ legis haberet, quam ipse cōpari denuntiaret. Postea etiam orbis dominus constitutus est, & ad illum omnia animalia in signum subiectio-
nis adducta, ut videlicet agnosceret se præceptum
obedientiæ percepisse, non ut more mancipiorum
seruaret, sed ut subiiciens se per obedientiam Domi-
no, dominus & rex fieret, ac omnibus imperaret.

Sed quare obedientia homini potius quam aliæ
virtutes adiutrix data est? Ideo profecto, quia obe-
dientia omnis virtus cōtinetur, & omne bonum, quo
ad patriam cœlestem ascendimus, generatur. Aliæ
namque virtutes in una materia se cōtinent, & in illa
tantum suas actiones exercent. Prudètia media apta
ad finem consequendum inquirit, iustitia vnicuique
ius suum tribuit, obseruantia reverètiam, maioribus,
pietas officia parètibus impertit. Fortitudo in pericu-
lorum sustinentia versatur, patientia in malis & ad-
uersis fortis ostenditur, abstinentia modum in cibis,
sobrietas in potibus, castitas in Venere, paupertas in
contemptu rerum temporalium ponit. Et sic quæcū-
que alia virtus quasi terminum sua iurisdictionis ha-
bet, ultra quem haudquam suam potestatē ex-
tendit. Ac ideo si virtutes non in omni perfectione
sumamus, secundum quam dicuntur esse connexæ,
aliquem iustum & non fortē, aut fortē, & nō ab-
stinentem, aut abstinentem & non sobrium, aut sobri-
um & non castum inueniemus. At obedientia in
sua latitudine accepta ceu regina potens omnes ma-
terias vniuersarum virtutum peruagatur. Prudensq;
ex obedientia prudenter agit, & iustus, aut fortis ex
obedientia iuste aut fortiter se habet, & sobrios aut
temperatus, aut castus ex obedientia sobriæ, tem-
perate ac castæ se gerit. Et qui imprudentia aut iniustitia
aut alio vitio peccat, ideo delinquit, quia precepta
transgreditur, ac ideo quia à mandatorum obedientiæ
separatur. Merito proinde quidam ad hanc virtutem
illud Proverbiorum applicuit: Multæ filia
congregauerūt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Iu-
nianum alia Dei filiæ, nempe alia virtutes in sua pro-
pria cuiusque materia opes meritorum congregant,
obedientia vero opes in omni materia in omnique
actione coaceruat. Obedientia concordiam seruat in
Angelis, unitatem tribuit Ecclesiis, pacem constituit
in cœnobis, tranquillitatem facit in regnis, in rebus
publicis & familiis, & quicumque excelsius, quæcumque
exorbitatio à lege in istis conspicitur, ex obedien-
tiæ defectu prograditur. Hanc brutis vis naturæ in-
seruit, inanimatis præbuit, hac terrenis cœlestia, & hu-
manis diuina religauit, sine qua nihil omnino pac-
atum ordinatumque confiserit. Hac tanquam scala fir-
missima fit hominis ascensus in cœlum; hac à se ipso
discedit, ad perfectionem accedit, ac Deo se ac cole-
stibus spiritibus inserit. Hac est quadriga qua Elias est
à mortalium cœtu sublatus, & ad superas sedes eue-
ctus. Itæ paupertatem fouet, castitatem perficit, vir-
tutes reliquias virget, ne negnes vacent, & in suorum
operum labore torpescant. Hac denique est, quæ ut
fidelissima comes & solerissima adiutrix viro iusto
adstat, ut viam salutis currere incipiat, ut in ea pro-
gressus faciat, & ut feliciter ad finem optatum san-
ctitatis perueniat.

Obedientiam status religiosus, qui pro posse vitam
cœlestem annulatur, in primis charam habet, & velut
matrem reliquorum bonorum, quorū est ferox, illis
omnibus anteponit. Cuius ratione assignat Thomas
Aquinas in hunc modum. Inter hac autē tria, quæ
ad religionis statum diximus pertinere, præcipuū est
obedientiæ votum, quod quidē multipliciter appetet.
Primò quidem, quia per obedientiam votū homo Deo
propriam voluntatē offert: per votum autem conti-

A nētiæ, offert ei sacrificiū de proprio corpore. Per vo-
tum verò paupertatis offert de exterioribus rebus. Si-
cut ergo inter bona hominis corpus præfertur exte-
rioribus rebus, & anima corpori, ita votum continē-
tiæ, votu paupertatis præfertur, votū autē obedientiæ
vtrique. Secundò, quia propter propriā voluntatē
homo & exterioribus rebus vivit & proprio corpo-
re. Sic igitur qui propriam voluntatē dat, totum dedi-
dit videatur. Vnuerſalus est igitur obedientiæ votū,
quā continentia, & paupertatis; & quodammodo includit vtrumq;. Sic ille.] Nec moueat quod ille de
obedientiæ votu, non de sola obedientiæ virtute lo-
quitur. Votū enim ad stabiliendam virtutē est, & ob
id duabus aliis votis religiosis præfertur, quia de no-
biliarioris virtutis actibus nuncupatur. Alio verò loco
vbius hoc idem tractans idem sanctus Doctor ait,
ideo etiam obedientiæ paupertati & castitati præpo-
ni, quia hæc obedientia continentia præcipiente ne
propriū habeamus, & ne corpus aut mentem impunis
actibus, aut cogitationib;, aut desideriis inquinemus.
Insuper quia obedientia se ad actiones extendit, reli-
gionis fini propinquiores: & ad eas quæ Deum im-
mediatius attingunt. Quare obedientia est perfectio
illa, quæ statum religiosum in suo esse constituit. Nā
si quis paupertatem & castitatem profitetur, seu vo-
to complectatur, si obedientiam sponteacem voto
non suscipiat, statum religiosum non habebit. Hanc
itaque virtutem nos religiosi tanquam præcipuā am-
pletebitur, quia ad reliquias virtutes etiā Theologicas
exercendas permouemur. Nam credere in Deum, &
ab eo bona æterna sperare, & illum super omnia di-
ligere, obedientia est, quia hæc eo ipso quod sub præ-
ceptum cadunt, non possunt ab obedientia splen-
dere secessi. Nec ideo inter se putamus virtutes esse
cœfusas, quia sicut in actionibus humanis quam vnu
facit, alius imperat, & alius consultit, aut velut rationi
consonam faciendam esse decernit: sic in studiis
operibus, quod charitas elicit, in instantiæ præcepto dilig-
endi obedientia iubet, & hac ratione suam amplitudinem
ad actiones vniuersarum virtutum extendit.
Quam ergo virtutem præcipuā in nostro statu, & ve-
lut regina agnoscimus, licet ad finē huius voluminis
properantes, non minori diligētia traçemus, & quid
ipsa sit, prius à definitione eius incipiētes inquiramus.

D Varus modis Patres obedientiæ naturam exposue-
runt. Basilius sic: Vera perfectiæ subiectorum ad-
uersus moderatorem ordinis obedientiam in eo cernit-
ur, si quis ex eius consilio non rebus modò flagitiis
abstineat, sed si ne ea quidem, quæ laudabilia
sunt, sine sententiâ illius faciat. Thomas Aquinas
sic. Obedientia est, quæ promptam reddit homini
voluntatem ad implendam voluntatem præ-
cipientis. Albertus magnus sic. Obedientia ad vi-
carios Christi, scilicet ad prælatos, est, cum subdi-
tus quod lib. maximè contrarium est, fideliter & li-
benter exequitur, nunquam manifestans signo vel
facto, quod sibi contrarium sit præceptum. Iohannes
Climacus pro suo more eam luculentius ita descri-
bit: Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio,
per corpus certius ostensa. Aut fortè versa vice: Obe-
dientia est inexaminatus atque indiscensus motus,
spontanea mors, vita curiositate carens, securum pericu-
lum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis
contemptio, tuta nauigatio, confessum dormienda
iter. Obedientia est sepulchrū voluntatis, & excitatio
humilitatis: nihil reficit, nihil discernit, mortuus in
bonis, aut in his, quæ videtur mala. Nam qui p̄e an-
iam suam mortificauerit, securus pro omnibus ra-
tionem reddet. Obedientia est discretionis depositio
inter diuitias discretionis. His vt cumque natura obe-
dientiæ

PROPH. 31.
29.

4. Reg. 2.
11.

D. Thom.
opus. 18.
c. 11.

2.2. gñ.
186. ar.
s.

Basil. s. r.
de infor.
monach.

D. Th.
2.2. 10.
104. ar.
2. ad 3.
Albert.
in para-
diso au-
ma. 5. 3.
Clima-
gradiu 4.

dientia virtutis exponitur, sed nos ad nostrum propositum eam quatenus votum etiam comprehendit, exponamus.

Est igitur religiosa obedientia, inferioris ad superiorum propter Deum voluntaria subiectio, quam votum stabiluit atque firmauit. Est, inquam, subiectio, ut ille qui re calcitrando & contradicendo preceptis Dei innocentiam perdidit, subiiciendo se Deo & homini propter Deum ad pristinam iustitiae & innocentiae participationem reveratur. Est subiectio, vt per hanc inferiori superiori tamquam cœlo colligatus ab eius imperio, quod imperium Dei est, si bona praecipientur) futuram influxum, quo in bono promouetur, accipiat. Est subiectio, ut qui superbiendo cecidit, se coram alio non superioris naturæ deciendio refugat. Atque etiam est subiectio spontanea sive voluntaria, quia in exordio suo non à natura processit, sed à propria se subiicientis voluntate manauit. Quædam enim subiectio à natura manat, illa scilicet qua effectus causa subiicitur, qualémque nos & omnia habent erga Deum, qui causa omnium rerū creatarum existit. Nam, & nunc Domine pater noster es tu, nos verò lutum: & factio noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.] Et quia ipse est Dominus Deus noster nos autem populus eius, & oves manus eius.] Quid autem æquus aut naturalius, quam vt effectus, qui totum esse à causa haberet, ab eo etiam motum & actionum directionem accipiat? Hoc etiam modo subiunt filij parentibus, à quibus vt notum est, esse & vitam accipiunt. Immo & subiunt fideles omnes Pontifici summo & prælatis Ecclesiasticis: Nam Deus omnium opifex his tamquam vicariis suis per Christū filium suum imperandi in spiritualibus potestatem attribuit. Quæ ex eo quod id diuina est, id est, à Deo ipso immediate procedens, naturalis, hoc est, ab ipsa natura dictata & instituta esse non desinit. Alio verò subiectio à iure gentium, immo & paulo mediatis ab ipsa natura prouenit. Eo enim ipso quod sunt res publicæ constitutæ, capita habentes, & ex hominibus tamquam ex partibus complicitæ, sequitur, vt ipsa natura dictante singuli homines partes scilicet sive toti subiunt, & membra capiti obtemperent. Et hac ratione ciues subiiciuntur Principi & aliis senatoribus arque iudicibus, in quos à republica & principe authoritas gubernandi descendit. Alia tandem est subiectio à proprio aliquius voluntate procedens, qui cum sit iuris & arbitrij sui, potest quasi iure suo cedere, & alteri in se potestare dare. Quo pacto valeret inquisque tradere se alteri in seruum vel famulum, vel promissione aliqua se obsequio ac seruituti eius addicere. Hec autem subiectio ad religionem obedientiam pertinet. Ego enim, qui liber & mei iuris eram, volui non coactus sed libens ad maius meritum, & ad maiorem securitatem æternæ salutis, me prælati subiicerem, & ad hanc subiectiōnēm voto ligari arque constringi. Dictum est autem, subiectiōnēm hanc in suo exordio à voluntate penderet, quoniam ex quo quisque libere vitam religionem professus est, & prælati voti pollicitatione subiecit, non est liberum sed obligatione debitum alterius duetu vivere, nec prælati iussis contraire. Iam hæc subiectio quasi naturalis, & diuina est, à Deo per summum Pontificem statum religionis instituentem manans, & prælati eius iubendi autoritatem impertiens. Iam quasi gentium iure, instituta est. Nam ex eo quod in Ecclesia sunt congregatiōnes religiosæ quasi res publicæ quædam ad Dei cultum & vita perfectionem specialius institutæ, sequitur ut quisque religiosus ad religionem vt ad torum, & ad prælatum vt ad caput comparetur. Ac proinde

A debet sicut & in ceteris rebus publicis roti s' ubiſſe & à capite autoritatem habente gubernari.

Ex hoc autem patet cuius habeat subiectio sit & cui ipsa debeatur. Est enim inferioris qui pareret & obedit: ex quo prospicitur obedientia pulchritudo & æquitas, nihil enim pulchrius & rectius quam ut inferiora à superioribus pendeant, & coruū duetu atque imperio regantur. Et sic est prepostorum & simile monstro si caput hominis repereret, & pedes sursum tollerentur, & vellent capiti præesse, illud que dirigere; ita contra naturam & bonos mores esset, si inferior nolle parere, & à superiori gubernari. Est superior qui præcipit, ex quo suauitas & discretio obedientia eluet. Dedit enim Deus nobis visibilibus, prælatum visibilem multis annis in cœnobio educatum, notitia legam & iuris nostri sufficienter instructum, à quo possimus prudenter dirigi, cuicunque valeamus, sine salutis discrimine nos a nostra committiri. Est obiectum huius subiectiōnis sive materia circa quam verlatur præceptum impositum, cui cùm nos propter Deum subiicerimus, nihil Deo contrarium contineat necesse est. Nam si aliquid Deo disiplicens & suis iussis contrarium contineret, iam non præceptum esset, nec nos villo modo constringeret. Quare Gregorius ait: Obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est, non timore penae sed amore iustitiae. Duo bus autem modis prælati nos dirigunt: primo, iussis atque præceptis, secundò, monitis & adhortatiōnibus, & ostentatione eorum quæ recta sunt, & propriæ manifestatione voluntatis. Ad utrumque autem se obedientiam modum extendi, licet diversa ratione. Nam si prælatus iubeat & præcepto vrgeat, non obedire iuxta qualitatēm præcepti, peccatum erit, graue quidem, si præcipiatur res gravis & aliquius momenti, leue vero, si iubeat res leuis & contemptus desit. At si non iubeat, sed aut hortetur, aut suadeat, aut voluntatem suam verbis aut nutu ostendar, non obediens, sceloso scandalo & contemptu, peccatum non erit, sed manifestè magna imperfætio, & obseruantia defectus, & confusio ordinis erit. Sicut enim esset malus seruus, & intollerabilis vxor, & imperfectus Christianus, qui expetarent præceptum Domini, aut mariti, aut Ecclesie, & nihil, non strictè præceptum, vellent facere: ita imperfecti nus esset Religiosus, qui nihil sine præcepto vellet efficeret. Sed de hoc inferiori sumus dictari. Hanc igitur obedientiam quoad leges præcipientes, & quoad mandata prælatorum voto stabiliimus atque firmamus, vt sic religiosi, & in statu perfectionis constituamur, qui cum stabilitatem habeam, non poteſt nostra voluntati relinqui, & pro humana leuitate mutari. Mutare autem facile si subiectio nostra ad prælatum ex sola nostra voluntate penderet, quia hodie vellemus obediens, & cras noſtri iuris efficiens, & à voto & promissione non stabilitatem acciperet. Et hæc subiectio voto firmata, est obedientia religiosa, in qua præcipius religionis ordo splendorque consistit, & sine qua aut voto aut alio modo stabiliter custodita, nullius familiæ religiosæ nulliusque congregationis posset re-gubernatio seruari. Vnde Beatusimus Pater noster Ignatius hæc ad huius virtutis commendationem scripta reliquit: Nimirum hoc modo prouidentia illa diuina disponit omnia suauiter, infiniti per media; media per summa, suos ad fines cuncti perducens. Hinc illa videlicet in Angelis viis Hierarchia ad aliam subordinata series, hinc, & celestum, & aliorum omnium, que cinctur corporum, certis locis ac sedibus, inter se se apta-

Greg. 12
mor. c.

C

D

E

Ign. in ep.
obe. n. 20.

connexio, quorum conuersiones ac motus ab uno mouente supremo gradatim omnes vñq; ad infimos rite proueniunt. Idem in terris, cùm in omni ciuitate bonis instituta legibus, tum verò in Hierarchia Ecclesiastica certinatur, cuius omnia mēbra & functiones ab uno generali Christi Domini nostri vicario deriuāt, & quo accuratius hæc dispositio, & collatio custoditur, eo rectior est gubernatio, & melior: contrà verò huius ordinis negligentia, quam grauia incommoda multis hominum societatis importentur, nemo non videt. Hæc ille.] Nec nobis omittenda estractionis obedientiæ exquisita cognitio, quæ in hoc postremo sita est, vt iniuncta ex eo quod präcipiuntur faciamus. Si enim quis präceptis obediatur, nō exp̄resse ut obediatur, sed ut virtutis actus eliciat, obedientiam quandam habet generalem legis obseruatione contentam, & actus virtutis quam exercet, putat temperantia, aut iustitia, aut cuiuspiam alterius prästabilit. At si quis präcepta impletat, exp̄resse ea ratione quia à Deo vel superiori präcepta sunt, tunc actum obediencia specialis virtutis elicet, quia rationem quandam honesti speciali operi addit, vt scilicet fiat, quia ex präcepto debitum est. Hæc est natura obedientiæ qualis scholastico modo tractata, cuius radicem, necessitatem, prästantiam, gradus, premia, & media nunc iuxta consuetudinem exponemus, ut huic volumini postremam manum imponamus.

Quæ sit radix Obedientia.

CAP V T II,

Hec obligatio superioribus obediendi, altiores radices habet, quam cuiquam fortassis videatur. Qui enim hanc obligationem ex eo oriri putauerit, quod votum obedientiæ nuncupavit, debetque stare promissi: aut ex eo quod pars est cōgregationis, debetq; capit subiacere, veritatem quidem attigit, sed nondum ad fundamentum ac radicem obedientiæ peruenit. Habet enim hæc virtus fundamentum solidissimum, & radicem profundissimam, quam si exquisierimus, & nobis miram voluntatem obedientibus afferet, & omnem difficultatē ab obedientiæ depellet. Radix igitur aut causa präcipua obedientiæ est, quod prälatus vices Christi gerit, quod in prälato Christi iubet, & dum obediimus, non tam homini quam Deo ipsi subiicimur. O mira obedientiæ perfectionem! O magnam obedientium felicitatem, quia Deo in homine parent, & ipsi Christo Dei filio cui omnia subiecta sunt, se ipsos suaq; subiiciunt. Et sicut hic qui in misericordiæ operibus insti-
tuit, dicturus est, Quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti, ita & obedientibus potiore ratione dicit: Quando obedientiam prästis, prälates vestris, mihi obedistis. Potiori quidem ratione, quoniam magna fide videatur procedere, Deum in prälates intueri, & quasi vocem eius ab ore prälati prodeuntem audire.

Igitur prosequamur hæc tria, ut magnas, quas habemus, obedientiæ causas, videamus. Prälatus vices Dei gerit, & loco Dei constitutus est, vt nobis salutaris präcipiat. Salus ac vita nostra est obedere Deo, & eius facere voluntatem, perditio autem nostra präceptis eius reluctari. Nam & scriptū est: En proprio in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, si obediens mandatis Domini Dei vestri, qua ego hodi präcipio vobis: maledictionem, si non obediens mandatis Domini Dei vestri, fed recedenteris de via, quam ego nunc ostendo vobis.] Quia verò Deus inuisibilis est, nos au-

A tem visibiles, nec decebat, vt nobis semper inuisibiliter loqueretur, & specialia mandata seruanda proponeret, aliquis homines similes nobis elegit, per quorū os nobis loqueretur; & à quibus quid ipse vellet, possemus addiscere. Hi autē sunt principes atque prälati, quibus dixit Christus: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: Qui autē me spernit, spernit eū qui misit me.] Et haud dubie, sicut qui contemnit Christū, contemnit & patrem, à quo missus est, ita & qui audit Christū, audit & patrem. Qui igitur audit prälatos, cum audiat in eis Christū, audit & patrem, & in prälatis, iussionibus patris obedit. Hæc namq; verba nō ad discipulos tantum Domini sed ad omnes prälatos fusse directa, constans omnis Catholicorum sententia est. Idq; manifestè docet Clemens Papa primus ad omnes Episcopos & presbyteros, & clericos, sic scribens: Vestrum enim quia legatione Domini fungimini, est docere populos: corum verò est, vobis obedere, vt Deo. Si autem vobis Episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac subdiaconi, & reliqui clerici, omnēq; principes, tam maioris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus & lingua, nō obtemperauerint, non solum infames, sed & extores à regno Dei, & consortio filiū, ac à limibinis sanctis Dei Ecclesias alieni erunt. Nam vestrum est, eos instruere, corum est, vobis obedere, vt Deo, cuius legatio fungimini, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eū qui me misit.] Nihil enim iniustius, vel in honestius est, quam filios patribus rebelle, aut clericos, vel laicos doctribus, seu discipulos magistris inobedientes, vel proterius existere. Sic ille.] Neq; iniustè verba predicta Domini de omnibus prälatis accipienda sunt, siquidē in illis similis atq; in discipulis Domini est docendi & iubēdi potestas. Illudq; quod Ezechiel à Domino sibi reuelatum auditum: Dominus Israel noluit audire te, quia nolunt audire me,] & omnes prälati audiūt: Inobedientes, & proterui nolunt audire vos, quia nolunt audire me. Si enim me vellent audire, meisq; iussis obtemperare, vtq; & vos loquentes audirent, & vobis präcipientibus obedirent, quia ego in ipsis tanquam in meis vicariis doceo & iubeo.

Olim, vt Paulus ait, loquutus est Dominus per prophetas, in initio verò Euāgelice legis loquitur et nos bis in filio quē constituit, heredem vniuersorum, per quem fecit & secula.] Et Iohannes: Unigenitus qui est in fini partis, ipse enarravit.] At postquam filius Dei ascendit in cœlum, docet homines per superiores ac prälatos legitimè constitutos. Ipsi personam Dei, & Christi in terris referunt. Quare Baillius ait: Nihil est alius antistes, quam si qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum qui in ipsis officio sunt, salutē sacrificans Deo. Atque hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesia sua pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, anima me plus his: pascere oves meas.] Et omnibus deinceps prälatibus ac magistris, candem tribuit potestatem. Cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille, & ligent, & soluant. Sicille.] Hoc idem significant multa virtusque fœderis verba: vt illa Moysi ad filios Israel: Nec contra nos est murmur vestru sed contra Dominum.] Et tamen illi non de Domino sed de Moysē detraxerant. Sed aduersus Dominum obmurmurat, qui prälati à Domino constituti, eumque referentes, famam proscindit. Et illa Domini ad Samuelē à munere imperandi reiecit: [Non te abiecerūt, sed me, ne regnarē super eos.] Illi quidem regem pertulerant, Samuelēmq; in ordinē redigere tentauerat. Dominus autē cōqueritur se reiecit, quia

Luke 10.
16.

Clemens
epis.3.

Luc.10.
16.

Exch.3.
7.

Hebr.1.1.
2.

Ioh.1.18.

Basil.8.
morm.23.

I. Petri
22.15.

Exod.16.
8.

I. Reg.8.
7.

ipse

Matth.
25.40.

Deut.11.
26.27.
28.